



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

Capvt XXIV. Matrimoniorum statum per se bonum esse, tamquam à Deo &
natura ad prolem generandam, mutuamq[ue] opem inductum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45686

C A P V T. XXIV.

Matrimoniorum statum, per se, bonum esse, tanquam à Deo & Natura ad prolem generandam, mutuamq; opem inductum.



Vi igitur Matrimonij statum ex se malum esse dicit, Catholicus non est. Cùm conderet Mundum, *vidit Deus cuncta, qua fecerat: & erant valde bona.* Fecit autem & Matrimonium vt supra ostensum est, & magnâ providentiâ fecit, ac insuper etiam eximie approbavit; neque tunc duntaxat, sed iam etiam coniuges legitime contrahentes ipse, coniungit, dum coniugij vinculum ratum facit. Fecit autem, seu instituit matrimonium, quando hominem masculum & feminam, eo consilio, creavit, vt crescerent & multiplicarentur. Quam Dei institutionem etiam Christus testatus est, cùm dixit: *Non legistis, quia qui fecit hominem ab initio, masculum & feminam fecit eos? & dixit (per os Adami scilicet) Propter hoc dimittet homo patrem & matrem & adheret uxori suæ: & erunt duo in carne vna. Itaq; iam non sunt duo, sed vna caro. Quod ergo Deus coniunxit, homo non separet.* Quibus verbis, ex ipsâ coniugij institutione, vim atque indissolubilitatem coniugij confirmavit. Et quia ibi non tantum de Adamo atque Eua, sed etiam de quibuscunque alijs legitime coniunctis (de quibus Pharisei interrogabant) locutus est, rectè conficitur, Deum omnes legitime contrahentes coniungere, dum peculiari quadam assistentia vinculum matrimonij ratum facit; sicut fecit, quando *duxit Deus Euan ad Adam; &* quando Christus nuptias, sua, Matris, Apostolorum præsentia, miraculoque vini cohonestavit. Quo tempore nonnulli existimant à Christo non solum approbatum esse matrimonium, sed etiam, vt sacramentum esset, institutum. Sed id cerrum non est, cùm alij autement, id factum, quando Christus, Matth. 19. abolito repudij libello, & sublata polygama, matrimonij contractum ad primævam conditionem reduxit; alij autem, intra 40. dies, post resurrectionem, cùm alioqui plura ad Ecclesiæ regimen spectantia Apostolis reuclaret.

I.

Gen. 1. 31.

Gen. 1. 28.

Matth. 19. 4.

Gen. 2. 24.

Io. 2. 4.

Q9

Ex

11.

Ex qua ratione magna matrimonij dignitas & reuerentia, inter legitimè conuenientes coniuges, existere debet; cum sci-
ant, & magna religione eos cogitare par sit, à Deo se in hoc vi-
tæ genere, sicut Christum cùm Ecclesia, copulari. Illis autem me-
rito scrupulus ac formido iniicitur, qui illegitimè, & pecudum
more, cohabitant. Siquidem illos non Deus, sed diabolus co-
pulat. Quare vicissim maledictionis diabolicæ participes, &
expertes diuinæ benedictionis sunt, qua rerum Creator, coniu-
gium approbavit, primò ante peccatum, quando illud instituit,

Gen. 1. 28.

Benedixitq; illis Deus, & ait: Crescite, & multiplicamini, & replete terram; deinde & post peccatum. Legimus enim:

Gen. 9. 1.

Benedixitq; Deus Noë & filiis eius, & dixit ad eos: Crescite & multiplicamini, & replete terram. Hac benedictione illegitimo toro iuncti carent, etiam cùm liberis abundant, ne dum, cùm prole, in pœnam libidinis, destituuntur. Maledictus autem est, quisquis se ipsum Dei benedictione priuat. De qua maledictione multiplici paulo infra, erit dicendi locus. Nunc fat erit, aduertere, Christum, per rationem sacramenti supernaturalis matrimonio superadditam, eidem (toto contractu naturæ relicto) vnà etiam, ad onus coniugij, leuius, castius, & fide-
lius, & cum bono prolis suauis portandum, efficaciam gratiæ adiunxisse; voluisseque, vt per hoc Sacramentum sua, cùm Ecclesia coniunctio significaretur; nam quia & Christus sibi Ecclesiam indissolubili vinculo copulauit, ideo & Ecclesia Spon-

Osee. 2. 19.

sa Christi appellatur, iuxta illud: *Sponsabo te mihi in sempiternum;*

Ephes. 5. 21.

& illud: *Propter hoc relinquet homo patrem & matrem suam, & adhaerebit uxori suæ; & erunt duo in carne vna. Sacramentum hoc magnum est: Ego autem dico in Christo & Ecclesia.* Quæ non solum, peculiari priuilegio, ex latere Christi genita dicitur, quando vnus militum lancea latus eius aperuit, & continuo exiit sanguis & aqua, sed etiam fœcunda pariter, & semper virgo est. Eua quidem ex latere Adami procreata & fœcunda, non tamen semper virgo fuit: Ecclesia autem & fœcunda fuit, iuxta illud:

Ioan. 19. 34.

Non sumus ancilla filij, sed libera: & virgo, dicente Apostolo: *Despondit vos vni viro, virginem castam exhibere Christo: qui genuerat filios per Baptismum; instruit per prædicationem Euangelij;*

Galat. 4. 31.

1. Cor. 11. 12.

geli;

gelij: nutrit per Eucharistiam, sanat per pœnitentiam & vñcti-
onem. Ob hanc repræsentationem, *Sacramentum hoc magnum*
est, in Christo & Ecclesia.

Explorata igitur hæresis, & ut Apostolus loquitur, *doctri-*
na damoniorum, est, dicere, *Matrimonium esse malum*; quæ do-
ctrina, ut vidimus, falsò Catholicis, per Sectarios, imponitur.
Probè notum est nobis, quòd sit *honorabile coniugium in omnibus,*
& torus immaculatus. Notum est & illud: *Si nupserit virgo, non*
peccavit: itemque: *Qui matrimonio iungit virginē bene facit, sed &*
illud notum nobis, quod sequitur: Et qui non iungit, melius fa-
cit. Præferre vnum, non est alterum contemnere. Perfectio-
nem comparamus, non seiungimus bonitatem. Libidinem, non
statù accusamus. *Profectò errant, inquit S. Augustinus, qui, cum*
vituperatur libido carnalis, damnari nuptias opinantur; quasi morbus
iste de connubio sit, non de peccato. Et Tertullianus ait: *Videamus,*
an damnatio coniugij sit iusta, non quasi destructuri felicitatem san-
ctitatis (quæ est in Virginitate) ut aliqui Nicolaita assertores libi-
dinis; sed qui sanctitatē, sine nuptiarum damnatione nouerimus, &
sectemur; & præferamus, non ut malo bonum, sed ut bono melius.

Neque verò matrimonia bona sunt duntaxat, quia ex-
pressa iuris diuini institutione, benedictione, significatione san-
ctificata, & approbata; sed etiam ex ipso iure naturæ (quod in
dictamine rectæ rationis consistit) stabiliuntur. Siquidem ea,
quæ sunt propter finem aliquem, ex fine debent æstimari.
Quare si qua res, per se est apta necessariaque ad finem per se
bonum ac necessarium, oportet & illam bonam esse. Coniugij
finis autem duplex habetur, ut tradit etiam Aristoteles: quo-
rum vterque bonus est. Nam primus & primarius finis, est
procreatio & educatio liberorum, eo modo, quo humanæ, im-
mo & Christianæ perfectioni conuenit, liberos educare. Quip-
pe, sine coniugio, aut species humana omnino non propagare-
tur; aut certè non ita, uti illius conditio exigit. Neque bonus
tantum, sed etiam necessarius est iste primus finis; nisi enim vir
& mulier certo perpetuoque obligationis vinculo sibi mutuò
obstricti sint, non potest esse certa liberorum procreatio, aut
educatio idonea. Non enim certum habet patrem, cuius mater

III

1. Tim. 4.

Hebr. 13.

1. Cor 7. 38.

S. Ang. lib. 7.
de nuptijs &
concupisc. c. 5
Tertull. lib. 1.
contra Mar-
cionem,

IV.

Aristot. lib. 2.
Ethic. c. 12.
Et S. Thom.
1. p. q. 92. a. 2.

S. Thom. q.
65. art. 3. &
q. 67. art. 1.

Qq 2

est

est plurium coniux: neque multum curant parentes, vt liberi bene educantur, quos sciunt, malè esse susceptos, aut non suos. Et cur solliciti essent, vt filios habeant bonos, ipsi mali? Hinc vaga libidine nati plerumque nascuntur patibulis; aut, vt, alio modo, carnifici dent occupationem. Quia eorum parentes non prolem quæsuerunt, sed voluptatem: nec liberis creandis, sed se recreandis operam dederunt: nihil pensi habentes, quomodo educantur, quos mortuos mallent, quàm, cum diuidia sua, in terris obambulare.

V.

Secundus & secundarius matrimonij finis est, mutuum viri ac mulieris obsequium, vt nempe vnus alteri, in communis vitæ consuetudine, in victu, in vestitu, in aduersis, in agritudine, in omni necessitate, auxilio sit, atque ijs officijs, quæ vnumquemque sexum deceant, opituletur. Hunc finem Deus ipse, cum mulierem de costa Adami edificaret, clarè indicauit: *Faciamus homini adiutorium simile sibi.* Hunc mutui auxilij inter virum atque mulierem, vsus bonus esse, apparet ex ipsa inter virum ac mulierem, differentia ac inclinatione. Nam ad alia atque alia propensi sunt viri, ad alia feminae; adeo, vt à quibus officijs & laboribus abhorrent viri, ea ament feminae, & quæ feminae, ob imbecillitatem, facere non possunt, ea robore suo viri assequantur. Nere feminarum est; virorum arare, occare, serere, metere: Nam Adæ dictum est: *Maledicta terra in opere, in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vite tue. Spinam & tribulos germinabit tibi, & comedes herbam terra. In sudore vultus tui vesceris pane.* Panem ergo à viris feminae, linum & lana à feminis viri habent. Viri in curia, feminae in culina negotiantur. Virorum officium est, seruos regere, feminarum gubernare ancillas. Quod si aliquando, versis velis, viri, cum Hercule, ad colum sedent, feminae stiuam torquent; aut, cum Amazonibus, clypeum & hastam gestant; profectò tamen viri non pariunt, non lactant, neque in vtero gestant, nouem mensibus, prolem: cum solus Iuppiter Palladem & Bacchum gestarit: sed illam in cerebro, non in vtero; hunc in femore, non in ventre: nec id asseratur, nisi fide fabulosa, ac Poëtica auctoritate. Vix etiam viri prolem in faucibus componunt; aut pul-

Gen. 2. 18.

Gen. 3. 17.

tem vagienti in os ingerunt; aut sordidum balneis mundant; aut, agitatæ cunis, cantillando sopiunt, quæ omnia, cum gustu, mulieres faciunt. Ita prorsus *adiutorium* viri est femina. Sed & vir, pro vxore, apud iudicem litigat; pro vxore, contra inquietantes, pugnat. Denique siue vir, siue vxor ægrotat, *adiutorium* in coninge habet; cum coniuge jucundè colloquitur; ei fidit & confidit; à coniuge patientiùs, amantiùs, diligentius tractatur; vno verbo, quod coniux coniugi facit, sibi facere, ipsi videtur. *Sunt enim duo, in carne vna.* In hoc tanto mutuo subsidio magnum est vtrique bonum. Bonum igitur & matrimonium esse necesse est, quod à natura in hunc ad eò bonum finem, per se atque ex natura sua, immò etiam ex sapientissimo Dei consilio, ordinatur. Onus vnum faciliùs ferunt duo. Vnde *coniuces* tanquam duo sub vno iugo, maximè putent sibi dictum: *Alter alterius onera portate.* Huius mutui amoris atque auxiliij paradigma singulare fuit Dominicus Catalufus, qui Lesbi rerù potiebatur. Nam cum eius coniux leprâ esset defœdata, ille minimè veritus, à contagione se infici posse, aut aspectus horrore auerri (illuies enim, non viuum corpus videbatur) neque tetro odore, quem vlcera mittebant, mouebatur, vt aut mensa, aut lecto eam communi prohiberet. *Coniugalis enim charitas, apud eum, contagionis timorem; tetrumq; conspectum odoremq; in securitatem ac voluptatem verterat: quòd eam, iuxta Dei verbum, eandem carnem secum esse arbitrabatur.* Excusasset eum lepra, à tanta familiarite; sed coniugale vinculum ac amor præpotuere.

Exempla etiam Ethnicorum habentur illustria. Theogena vxor Agathoclis Siciliæ regis, ab agro marito, se diuelli nullo modo passa est, dicens: *Nubendo se non prospera tantùm, sed omnis fortuna inisse societatem; nec inuitam, sui spiritus periculo, emturam, vt extremos viri spiritus exciperet.* Memorabile quoq; est facinus feminarum Lacænarum, quæ captiuos viros, mutatis vestibus, liberauerunt, ipsæq; in captiuorum locum substituerunt. Quod etiam de nostris legimus, quæ ira efflammatos maritos suos amauerunt, vt, Conrado III. Imperatore, aduersus Guelfonem bellum gerente, oppidumq; Winsperg in-

Fulgos lib. 4.
cap. 6.

Gal. 6.
Fulgos, lib. 4.
cap. 6.

VI.

Io. Naucler.
vol. 2 gener.
38. An. 1538.

deditionem accipiente, atque gratiam eam matronis faciente, ut, quæcunque humeris portare possent, secum efferrent; illæ non argentum, non aurum, non gemmas, non pelles pretiosas, non supellectilem muliebris mundi; sed, his omnibus neglectis, videntibus cunctis, & amorem laude dignissimum admirantibus, maritos suos humeris susceptos exportarent. Ibi Fridericus regis frater, *De viris*, inquebat, *non est cogitatum*. Cui res respondit: *Non decet verbum regium immutari*. Quin & ipse, mulieres de fidelitatis industria laudavit. Atque, ut rursus ad viros redeam, & memorem, quod Iouianus Pontanus testatur, sua ætate, accidisse. Agricola Lentiscolenis, in regno Neapolitano, agrum colebat, juxta mare; à quo vxorem aliquantum, loci spacio disiunctam Tunetani piratæ; seu Mauri, in littor prædatum egressi, ceperant. Vbi ergo maritus vxorem vidit, non apparere, neque longè piraticam triremem in anchoris stare conspexit; arbitratus id, quod erat, in ea vxorem esse; illico in mare desiliit, atque ad triremem adnatauit. Receperunt gubernatori dixit: causam sibi, per fluctus veniendi, fuisse, quòd sequi vxorè, & cum ea seruitutem potiùs pati, quàm domi regnare constituisset. Quam rem cum Mauri, non sine ingenti admiratione audiuisent (permultos enim eius regionis æcolas viderant priùs mortem, quàm illam perpeti miseriam male) atque ea postea, per ordinem, Tunetensi regi narraissent, tanta hominis fide atque charitate motus rex, & virum, & vxorem liberos esse iussit, atque inter regie custodiæ milites virum adoptauit. Ita coniux coniugem liberat captum, vel exportat, ne capiatur.

Fulgof. lib. 4.
c. 6. Vnde
Melander ex
Strigelio in
Psal. 69.

VII.

1. Reg. 19. II.

Magnum utique *adiutorium*, est tale vel vxori maritus, vel marito vxor subsidium. Nam, ut rursus ad vxores redeat, oratio, est sacra historia, quæ narrat, misisse Saulem sacellum suos in domum Dauid, ut custodirent eum, & interficeretur mact. Quod cum annunciaisset Dauid Michol vxor sua, dicens: *Nisi saluaueris te, hac nocte, cras morieris: deposuit eum per fenestram: porò ille abiit, & aufugit, atque saluatus est. Tulit autem Michol sicut tuam, & posuit eam super lectum, & pellem pilosam caprarum posuit ad caput eius, & operuit eam vestimentis*. Ita eludit iram patris prau-

eris prudens filia, & ligneum maritum sinit, non lignea vxor, vt verum in vita seruaret. Et planè hoc est officium bonæ coniugis, viro pericula denunciare, eaque ab illo auertere: quem admodum etiam mariti est, vxorem defendere. Sic, cum vnū fiat, à duobus proteguntur.

De Senensi illa S. Virgine Catharina, deque S. Francisco nostro Xauerio, ob magnitudinem facinoris, nonnulli hæstantius credunt, eos purulenta ægrotorum vlcera, manantemque inde saniem, applicitis auidè labris, suxisse; sed virtutem hanc, Dei amore, factam, credibiliorem reddunt, qui, coniugali amore, similia leguntur fecisse. Nam vide mihi, quantam Deus vxoris erga maritum fidem, quantum affectum mundo ostenderit. In expeditione, aduersus Syros, Robertus Britannix rex, gladio venenato, luculentam, in brachio, acceperat plagam, itaque infederat malum, vt in patriam reuersus sanitari non posset restitui, nisi pus virulentum sensim humano ore extraheretur. Quia igitur Rex probè intelligebat, id, sine exitio lugentis, fieri non posse, neminem eiusmodi discrimini obijcere voluit. Perire tam benignum regem, qui mori malebat, quàm alterius morte vitam prorogare, indignum rata fidelissima vxor, fortissima reginarum, noctu, solutis vulneris fascijs, primùm, incio marito, post etiam conniunte, exuens paulatim, & rursus expuens, venenum omne elicuit, plagamque medicis præbuit facillimè curandam. Quantum regi huic regina adiutorium fuit? femina vtique ore purissimo, quo tam feliciter virus est extractum. Aliæ feminae, vbi os admovent, omnia venenant. Sed non omnes. Nam simile factum de Eduardi regis Angliæ primogeniti vxore, regis Hispaniæ filia, memoratur; quæ è mariti ad S. Sepulchrum profecti plagis dictim, sic omnem veneni materiam attraxit, vt, integratis vulnorum cicatricibus ille planè curatus, illa incolumis euaserit. Eant alij, & querantur, se vxoris lingua fauciatos; sunt, quos lingua femine fauciatos sanauit. Nimirum vtrumque potest hæc corporis pars, quæ vel pessimum telum esse solet, vel optimum medicamentum. Hominum culpâ accidit, si adiutorium vertitur in venenum. Quin adeò constans est, in bona vxore, marito adiuto-

VIII.

XI

Georg. Viui-
ennus lib. 2.
de officio
probi Patris
familias c. 33.

Roderic. San-
tius p. 1. hist.
Hisp. c. 4.

adiuto-

Tertull. lib.
de monoga-
mia.

IX.

adiutorium, ut etiam post mortem ab ea adiuuetur; dum non solum coniux coniugi honestam procurat sepulturam, sed etiam succurrit in Purgatorio patienti. Hinc Tertullianus, ubi suffragia pro defunctis, numerat inter Apostolicas traditiones, ibi etiam monet quandam viduam, ut pro anima defuncti coniugis oret, & offerat annuis diebus dormitionis eius. Hæc, nisi fecerit, ait: verè repudiauit maritum, quantum in ipsa est.

Ludovic. Vi-
ues. lib. 2. de
Christianis
scia.

Multò autem euentius est auxilium ante mortem, cuius rei illustre Symbolum est Alcyon, sapientissimum & diuinissimum marinorum animal, à Plutarcho dictum. Hæc auis grauem anis comparem & agrè sequentem, suscepta cura, fert fouetq; fenem, nusquam destituens, nunquam post se relinquens: nam & dorso impositum gestat, magno charitatis coniugalis argumento. Atque ut humanum quoque exemplum subsidij istius matrimonialis, subiungatur, placet huc exscribere, quæ Hispanus docti nominis author memoriæ reliquit, de quadam præclarissima femina Burgensi, in Belgio, ab omnibus celebrata. Testatur autem, rem seipsum vidisse, atque alios plures notissimam habuisse. Verba eius sunt. *Clara Ceruenta Bernardi Valdaura coniux, quum virgo tenerrima, & formosissima Burgas esset ad sponsum deducta, iam plus XL. annos naxum, prima nuptiarum nocte, crura eius fascijs inuoluta vidit, deprehenditq; maritum sibi agrum & valetudinarium obtinisse. Nihil tamen illum, ob id auersata, non cepit eum odisse, cum præsertim nondum posset videri amare. Incidit non multò post Valdaura in grauissimum morbum, de cuius salute & vita Medici omnes desperabant. Ipsa cum matre, tanta cura & assiduitate circa lectum agri versabatur, ut, sex totis hebdomadibus amba nec se exuerint, nisi ut mutarent supparos: nec vlla nocte supra vnâ, aut alteram horam, quiescerint; idq; induta, multis noctibus traductis insomnibus. Erat radix morbi Indici, quem Gallicum hic vocant, semi & contagiosi. Dissuadebant Medici, seum contrectaret, ne tam prope accederet. Idem consulebant necessarij. Tum æquales femina in religionem adducebant, non esse tam anxia cura diuexandum (ita enim loquebantur) hominem iam factis debitum, & magna mortis parte in corpus recepta, prospiciendâ esse anima; de corpore nihil cogitandum aliud, quam ubi conderetur humo,*

humo. Quibus vocibus adeò illa absterrita non est, ut curàrit quidem, que ad animum spectabant: sed ipsa culina sorbitionibus, que remedium afferebant, ipsa pannis subinde mutandis (nam soluta erat maiorem in modum alius, & alyis locis pus tetrum dimanabat) esset intentissima, sursum deorsum, toto die, cursitaret, animo corpusculum fulciens, laboribus impar, ni tanta vis affectus subveniret. Ita discrimen maximum Valdaura enasit, iurantibus Medicis, è manibus Orci violentia coniugis ereptum esse. Alius facetius, quam Christianius, Decrevisse, inquit, Deum, Valdauram occidere; uxorem vero obstinasse è manibus se illum non dimissuram. Cœpit ei fluente quodam ardentissimo ex capite humore, arrodi interior narium caruncula: medicipulvisculum dederunt, quo subinde respergeretur ulcus, tenui, per fistulam aut calamum, flatu. Quumq; nullus inueniretur, qui non eum laborem recusaret, omnibus, rem aversandam exhorrentibus, sola coniux hoc præstitit. Scatentibus per genas, ac mentum pabulis morbi, quum nullus rasor commodè posset barbam eius radere, nec vellet, uxor forficulis, octavo quoque die, dexterrimè attondebat. Collapsus deinde in alium morbum longissimum, septem ferè annorum: ipsa infatigabili diligentia & cibum ei paravit, quum pedisequas haberet duas, & filiam grandescentem: ipsa eadem tum fœda illuvie ulceratum & crura puridissima, undique sanie disfluentia contrectavit quotidie, turundas & malagmata imposuit, ac fasciis deinxit, ut muscum eam diceres contrectare, non rem foetoris intolerabilis. Quin & anhelitum, quem nemo non etiam ad decem passus auersabatur, ipsa suavisimum iurat fuisse. Et quidem seridè mihi succensuit, quum semel foetere dixissem. Aiebat enim, sibi videri ceu fragrantiam maturorum & dulcium malorum. Atq; hoc toto morbi tempore, quum essent quotidie magni faciendi sumtus ad hominem tot morbis contrusum alendum & curandum, in ea domo, ad quam multis jam annis, nulla ex re questus aliquis redierat, nec annuos haberet proventus, ipsa se annulis, ipsa torquibus aureis, ipsa monilibus, ipsa vestibus, ipsa abacum suum vasis argenteis libentissimè spoliabat; ne quid marito deesset; contenta quavis mensa, modò marito suppeteret, quod tam afflicto malis corpori conduceret. Sic ille vitam traxit uxoris causa, cadaueroso corpore, seu sepulchro, veriùs, decem annis a primo illo morbo.

Rr

suscepit

suscepit, quum antea sex genuisset, viginti annis nupta, nunquam contagiosissimo mariti morbo, nec vlla omnino scabie infecta, non modo ipsa, sed nec vllus liberorum, corporibus omnium sanissimis atque mundissimis. Ex quo liquidum fit, quanta sit virtus, quanta sanctitas earum, quae vero ac toto pectore maritos (vt congruum est) amant, quemadmodum illis DEVS presentem quoque gratiam referat. Obijt tandem senex agrotus, seu non obiit, sed abijt verius & exiit jugem cruciatum, tanto tamen dolore Clarae, vt qui illam nonnumquam teantur, nunquam adolescentem maritum integro corpore, formosum, diuitem, tantum reliquisse carissima vxori desiderium, moerorem, luctum. Multi gratulatione citius putabant esse opus, quam consolatione; quos illa propemodum execrabatur, optans vt maritus, qualis qualis erat, si fieri posset, redderetur, etiam cum liberorum omnium, quos quinque habebat, iactura. Cumq; esset integra aetate, nunquam statuit nubere, quod se alterum Bernardum Valdaurum inuenturam negaret. Pratero pudicitiam, cuius erat exemplar; pratero sanctitatem morum. De pietate coniugis est sermo, quae nunquam venit sola, semper reliquis omnibus comitata virtutum. Quis hanc non perspicit, non corpori Bernardi Valdaura nupsisse, sed animo? aut non putasse corpus illius suum esse? Quid quod viri sui precepta & mandata omnia ita observabat, tanta reuerentia, vt ad huc viueret! & ex eius prescripto multa egit, sic illum facere statuisse, aut mandasse diligitans. Haecenus Viues. E qua historia perspicuum est, quantum sit coniugi, in coniuge adiutorium. Quod adeo multi clarè intelligunt, vt, vel in senio, sibi vxores quaerant, non vtiq; tam prolis causa, quam vt habeant agrotaturi fideliter ancillantem. Cum enim amor improbus omnia vincat, faciunt bonae vxores, quod ne vilissima faceret ancillarum. Hoc solum bonum, quantum est, in matrimonio, bonum?

CAPVT. XXV.

Prouidentia Dei, homines, singulari cura, in matrimonialicantis ostenditur exemplis antiquioribus.

I.



Coniugia non solum origo diuina & finis, sed etiam peculiaris Dei cura commendat. Est enim mirabilis prouidentia, in illis concinnandis, fouendis, conseruandis.